Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31664
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

scripta esse perhibentur. quorum ezechiel principia
et fines multis sunt obscuritatibus inuoluta.
Daniel uero claro sermone regna orbis pro-
nuntiat. et tempus aduentus christi manifestis-
sima predicatione adnotat. Hi sunt quattuor pro-
phete qui maiores uocantur quia prolixa uolumi-
na condiderunt. Liber .xii. prophetarum auctorum suorum
nominibus prenotantur. qui propterea dicuntur minores quia
sermones eorum breues sunt. unde et conexi sibimet
inuicem in uno uolumine continentur. Quorum no-
mina sunt. osee. iohel. amos. abdias. ionas. mi-
cheas. naum. abacuc. sophonias. aggeus. za-
charias. et malachias. Esdra liber auctoris
sui titulo prenotatur. In cuius contextu eidem hes-
dre neemieque sermones pariter continentur. Nec
quemquam moueat quod unus hesdre liber dicitur. quia secundus
tertius et quartus non habentur apud hebreos. sed inter apo-
crifos deputantur. Hester librum hesdras cre-
ditur scripsisse. In quo eadem regina sub figura ecclesie
dei populum a seruitute et morte eripuisse scri-
bitur. atque interfecto hoste aman. qui iniquitas inter-
pretatur diei celebritas in posteros mittitur. Liber
sapientie apud hebreos nusquam est. unde et
ipse titulus grecam magis eloquentiam redo-
let. hunc iudei filonis esse affirmant. qui pro-
inde sapientia nominatur quia in eo christi aduentus
qui est sapientia patris et passio eius euidenter
exprimitur. Librum autem ecclesiasticum certissime
ihesus filius sirach hierosolimita nepos ihesu sa-
cerdotis magni composuit. de quo meminit
et zacharias. qui liber apud latinos propter
eloquii similitudinem salemonis titulo pre-
notatur. Dictus autem ecclesiasticus eo quod de totius ecclesie
disciplina religiose conuersationis magna cu-
ra et ratione sit editus. hic et apud hebreos rep-
peritur. sed inter apocrifos habetur. Iudith uero et
tobi siue machabeorum libri quibus auctoribus
scripti sunt minime constat. habent autem uo-
cabula ex eorum nominibus quorum gesta scribuntur.

Quatuor libros euangeliorum .iiii. euangeliste significa-
runt qui scripserunt. Primus matheus conscripsit euangelium
litteris hebraicis et sermonibus in [illegible] iudea in-
cipiens euangelizare ab humana [illegible] christi natiui-
tate dicens. Liber generationis ihesu christi filii
dauid filii abraham. significans descendisse corpora-
liter ex semine patriarcharum christum sicut promissum
est in prophetis per spiritum sanctum. Secundus marcus plenus spiritu sancto
scripsit euangelium christi eloquio greco in italia se-
cutus petrum ut discipulus. Is initium ab spiritu
prophetali fecit dicens. Vox clamantis in deserto pa-
rate uiam domini. ut ostenderet christum post assumptionem
carnis euangelium predicasse in mundo. Ipse enim
christus et prophetia dictus est sicut scriptum est. Et prophetam in gen-
tibus posui te. Tercius lucas inter omnes euangelistas
greci sermonis eruditissimus. quippe ut medicus
in grecia euangelium scripsit theophilo episcopo. inci-
piens a sacerdotali spiritu dicens. Fuit in diebus hero-
dis regis iudee sacerdos zacharias. ut mani-
festaret christum post natiuitatem carnis et predica-
cionem euangelii hostiam fuisse effectum pro salute
mundi. Ipse est enim sacerdos de quo dictum est
in psalmis. Tu es sacerdos in eternum secundum
ordinem melchisedech. Vbi enim christus aduenit.
sacerdocium iudeorum obmutuit. lex et prophetia
cessauit. Quartus iohannes scripsit euangelium ultimus
in asia. incipiens a uerbo ut ostenderet eundem
saluatorem qui pro nobis dignatus est nasci et pati.
ipsum ante secula dei uerbum esse. ipsum e celo ue-
nisse. et post mortem ad celum iterum remeasse. His
quattuor euangelistas quos per ezechielem spiritus sanctus signi-
ficauit in quattuor animalibus. Propterea autem .iiii.
animalia quia per .iiii. mundi partes fides christiane
religionis eorum predicatione disseminata est.
Animalia autem dicta sunt quoniam propter animam hominis
predicatur euangelium christi. Nam et oculis plena erant
intus et foris quoniam preuident euangelia que dicta
sunt a prophetis. et que promiserat in priori. Crura
autem eorum recta quia nichil prauum in euangeliis est.